



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Titvlvs XIV. De Dolo Et Contvmacia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

semel aut iterum Episcopum sine Canonici elegissent, ac postea iterum vacante Sede Canonici cathedrales Clericos repellerent ab electione, aut ipsi Canonici prævenerent, Episcopum eligerent & confirmari peterent, hoc casu Clerici repel-

lerentur à possessorio recuperandâ, nisi titulum seu concessionem legitimam vel tempus immemorabile aliâve præsumptionem seu colorem possessionis suæ cum bonâ fide exhiberent, idque ex decisione hujus Capituli.

## TITVLVS XIV. DE DOLO ET CONTVMACIA.

**I**nterdum aliquis per vim injustam deijcitur possessione suâ, ideoque à iudice restituendus est, vt *præced. tit. vidimus*. Interdum verò accidit, vt aliquis seu iudicio possessorio seu petitorio missus in possessionem iudicis decreto, eam consequi non possit, ob dolum vel contumaciam adversarij, quamobrem titulus iste præcedenti annectitur. Dicta autem est Contumacia, à contemnendo, quia contemptus Iudicis censetur, si eius legitimo iussui pars litigans non obtemperet, quod variis modis accidere potest. Numerati sunt in *gl. c. 2. h. t. verb. Contumaciter*, videlicet, si peremptoriè citatus non veniat, aut malitosè se absentet, aut veniens, respondere aut jurare iussus recuset, aut si exhibere aliquid vel restituere iussus non obtemperet, aut denique negotio infecto discedat, nec revertatur.

### CAPITVLVM I.

Ad hæc.

#### PARAPHRASIS.

Reus in iudicium vocatus, contumaciter se absentat, & ob id Iudex actorem mittit in possessionem rei petita, Custodiæ causâ; sed ob dolum vel potentiam adversarij, possessionem seu potiùs custodiam rei consequi non potest. Verùm ante finem anni Reus ne veram quoque possessionem amittat, idoneam cautionem affert, quòd iudicio stare velit.

Quæritur an & quâ panâ mulctandus sit ob contumaciam, seu quòd iudicis citationi ac iussioni primitus non paruerit? Respondet Alexander III. In Ecclesiasticis personis & causis juris rigorem observandum non esse, ideoque iudicem contentum esse debere, quando Reus sufficiente cautione se adstringit standi iudicio, eo quòd hoc casu iustitia non periclitetur, quia jus actoris illæsum manet.

#### S V M M A R I V M.

1. De rigore juris civilis puniri potest, qui in jus vocatus non venit: si tamen post decretum primæ missionis cautionem offerat de parendo iuri, ex juris canonici benignitate non punitur: ad interesse tamen ex naturâ rei tenetur Actori contumax, si ob contumaciam damnum passus est.

**N**OTA. Contumax in foro Canonico puniendus non est, si post decretum primæ missionis comparens cautionem offerat de parendo iuri, ita ut jus adversarij integrum permaneat, & hoc propter æquitatem & benignitatem Canonicam; at verò secundum Iuris Civilis rigorem, puniri potest, quicumque in jus vocatur, & non venerit. *l. vn. ff. Siquis jus dicenti non obtemperaverit, juncto Bartolo in Explic. 7. & l. 2. de in jus vocando*. Sed quâ ratione manet integrum jus Actoris, si prohibitus fuit possessionem rei ingredi custodiæ causa. R. quoad juris effectus, ut perinde sit, secundum

a a

dum



dum fictionem juris, ac si possessionem ingressus sit, juxta legem *Quamuis* 13. juncta *gl. verbo. Perinde habetur. ff. De rebus Auctoritate judicis possidendis*, & clariùs in Capitulo *Contingit h. t.* Ceterum expensas, & quatenus interest Actoris, Reum contumacem non fuisse, sed in tempore comparuisse, id omnino præstandum ipsi est, uti *Innoc. hic* notat, cum id non ad penam pertineat, sed ad illati damni compensationem.

## CAPITVLVM II. Ex literis.

### PARAPHRASIS.

Inter Monachos de Etoll. & Canonicos Linconenses controuersia erat, super quibusdam Ecclesiis coram iudicibus à Papâ delegatis: quos Monachi (ut credibile est) monasterio incorporatas dicebant, Canonici cum legitime citati, se absentassent, & ob id Monachi mittendi essent in possessionem Ecclesiarum, Iudices tamen mitius agere volentes, possessionem earum sequestrari fecerunt, ut Canonici tædio affecti stare iudicio cogerentur; postea verò cum Monachi Ecclesias sibi vindicare seu earum restitutionem petere pergerent, Canonici responderunt, delegatorum Iudicium potestatem sublatam esse, eò quòd ad alios iudices literas impetrassent, quæ priori rescripto derogarent; sed Alexander III. aduertit in posterioribus literis priorum nullam factam esse mentionem, neque Ecclesias nominatim expressas, sed indistinctè positum, *super quibusdam Ecclesiis*, quare cum malitia & dolus nemini patrocinari debeat, mandat ut non obstantibus literis posterioribus, causa secundum priorum literarum formam decidatur, & Monachis expensæ ab aduersà parte compensentur, quos ob eorum contumaciam & moram facere debebant.

### SVMMARIVM.

1. Potest quandoque Iudex, non obstante con-

tumacia Rei, Actorem tamen non mittere in possessionem rei petita, sed eam sequestrare.

2. Sufficit quidem nonnunquam in literis posterioribus ad alios Iudices datis clausula generalis, non obstantibus prioribus literis, ut priores ad alios Iudices data reuocata censeantur, non tamen semper: & si nulla in posterioribus literis priorum fiat mentio, subreptitia censeantur.

**NOTA I.** Positâ contumaciâ Rei, potest quandoque Iudex spectatis circumstantiis Actorem non mittere in possessionem rei petita, sed eam sequestrare secundum *Innoc. hic*, & alios apud *Imolam n. 4.* ita tamen ut si Reus postea compareat, & cautionem offerat de parendo iuri, atque expensas parti læsæ restitueri paratus sit, possessionem recipiat. *Arg. c. vlt. §. in aliis, ut lite non contestata.* & docet *Panorm. l. c. num. 13.*

Quæres, quare dicitur hic, iudices mitius egisse (supple cum Canonicis) idque Religionis intuitu, quòd Ecclesias sequestrari fecerint. *xy.* Per sequestrum, si id fiat non vsque ad exitum causæ, sed dum contumacia durat, minus incommodi seu præjudicii affertur possessori, quàm si implemet aduersarius, videlicet Actor, mittatur in possessionem rei, causâ custodiæ; hæc autem benignitatem iudices exercuerunt intuitu Religionis, ne videlicet Religiosi petitores nimis auide Ecclesiarum possessioni inhiare viderentur, igitur ex hoc textu sumitur argumentum, si Religiosi Actores sint in iudicio, mitius agendum esse cum Reo, ita tamen ut iustitia seu jus Ecclesiæ aut communitatis non periclitetur.

**NOTA II.** Literæ posteriores ad alios iudices datæ, censeantur subreptitiæ, si in illis nulla mentio fiat priorum literarum. Ita etiam habetur in *c. 3. & c. Plerumque. 23. de Rescript.* Ratio est, quia Princeps delegatam alicui causam non facile reuocare aut alteri iudici delegare solet, maxime si causa à priore iudice cæpta sit, juxta *c. Cum Monasterium 20. de re iudicata.* Por-



hò tamen in secundis literis per quas alteri iudici causa delegatur, mentio expressa fieri debeat priorum literarum, ut reuocata censeantur, ut bene docet *gloss. hinc verb. indefinitè*. Non tamen necesse est mentionem esse specificam, quia sufficit interdum generalis, non obstantibus literis prioribus, ut Panorm. hinc monet contra *Imolam. n. 6.* præterquam si ex qualitate causæ, priorum literarum tenore, aliisque circumstantiis colligi possit, Principem posteriores literas cum tali clausula derogatoria daturum non fuisse, si priorum literarum specificè meminisset. *Arg. c. Super. 20. de Rescript.*

## CAPITVLVM III.

## Causam.

## PARAPHRASIS.

Si Actor postrecto libello non compareat, à iudice citandus est, qui si venire contempserit, aut si se absentarit, tum procurator eius, si quem reliquit, citari debet, quòd si neque is ad iudicium veniat, aut si nullum procuratorem reliquerit, publicâ denuntiatione seu edicto affixo ad domum eius, vel Ecclesiam, recipiantur testes partis alterius, & procedatur ad sententiam definitivam. Ita intelligunt *glossa hinc, Ioan. Andr. Panorm. Imola.* licet aliter *Innoc.*

## SUMMARIUM.

1. Actor postquam agere capit obiato libello, potest à reo conuenio cogi ad litem proseguendam.
2. Absens, si sciatur, citari debet personaliter per literas vel nuntium: si verò nesciatur, aut ita distet, ut spectata causa qualitate non debeat ex longinquo citari, nec Procuratorem ad hanc causam agendam reliquerit, affixo publico edicto citabitur.
3. Ad instantiam Rei, etiam lite nondum contestata, duobus tamen modis procedi potest ad testium receptionem, & sententiam definitivam, si Actor post oblatum libellum in comparendo, & litem proseguendo contumax sit.

Nota I. Licet nemo in iudicio agere cõpellatur, juxta *tit. Cod. ut nemo iniustus.* tamen postquam agere cepit libello porrecto, idque rescit Reus, postulare is potest, ut litem proseguatur, ideòq; absens citetur. *Authent. qui semel. C. quomodo aut quando.*

Nota II. Si pars altera (Actor vel Reus) citanda sit, tum citatio hæc fieri debet personaliter per literas aut nuntium; quòd si verò latitet, ita ut nesciatur vbi sit, vel si abò discesserit, siue se absentarit, tum distinguitur, utrum procuratorẽ suo loco reliquerit, hoc casu citari debet, si causa sit quæ per procuratorem agi possit; sin autẽ nullus procurator relictus sit, & pars litigans personaliter vocari non possit, aut saltem spectata qualitate causæ nõ debeat ex longinquo loco vocari, tum edictũ citatorium ad domũ eius, Ecclesiam vel curiam affigi debet. Ita colligitur ex textu isto, & *c. ult. h. t. & tradit gl. hinc verb. Ad domum Panorm. n. 5. Maranta de Ordine iudiciorum. p. 6. vbi de citatione. n. 82.* Adde his ex eodem Maranta, edictum publicum non tantum locũ habere in casu absentie litigatoris, sed etiam in aliis v. g. si citandæ sint personæ plures aut incertæ, quarum interest ut actui intersint, v. g. si Episcopus Prælatum electum confirmare velit, edicto publico affixo ad Ecclesiæ valuas citare debet eos, qui se electioni opponere velint. *c. ult. de elect. in 6.* quã simili ratione denuntiationes publicæ sponforum conjunctionem antecedere debent.

Nota III. Si actor post libellum porrectum contumax sit in comparendo ac litem proseguendo, etiam eã non contestatã, si Reus poscat, procedi potest ad testium receptionem, & sententiã definitivam, & quidẽ duobus modis, ut hinc *Panorm. notauit n. 17.* Primò, si Reus in se assumat onus probandi iniustitiã Actoris, tum verò iudex ex officio supplere debet partes Actoris, citandõ & examinando testes, aliãsq; probationes assumendo pro causa absentis, vocatis quoq; in subsidiũ amicis & consanguineis eiusdẽ, ut docet *Bartol. in cit. Authent. n. 13.* Secundò. Si Reus suscipiat in se onus probandi, jus ac dominium rei petiti sibi competere, ita ut



non tantum absoluat ab impetitione Actoris, sed etiam affirmativè pronuntietur, dominium sibi possessori competere. vti colligitur ex l. *Properandum. 10. S. & siquidem, C. de judiciis*. Vnde generalis doctrina sumitur, quam tradit *Bart. in cit. Authent. Qui semel. verb. Expedi.* Si Actore contumaciter absente Reus non petat causam cognosci, aut si petat, & iudex testes ac probationes recipere aggrediat, tamen iustitiam aut iniustitiam Actoris non satis cognoscat, tum Reum absolvendum esse non simpliciter, sed à citatione ista, vel ab instantia huius actionis, ita tamen vt Actor rediens, si expensas prius factas soluat Reo, actionem ex integro instituere possit: sin autem seu iustitiam seu iniustitiam Actoris deprehenderit, vel etiam jus seu dominium Rei conventi, tum juxta allegata & cognita sententiam definitivam iudex proferet.

## CAPITVLVM IV.

Prout.

## PARAPHRASIS.

Titius Clericus vocatus ad iudicium petitorium super causa decimarum, post libellum sibi oblatum, contumaciter recessit, postea rediens cautionem juratoriam fecit de parendo juri, cum autem ad diem statutam adesset, eo tamen prætextu, quod aduocatum suum nondum haberet, per malitiam respondere recusavit. Denique Actore instante respondit, quod 40. annis, decimas de quibus controuersia erat, percepisset, & cum iudex ulterius procedere vellet, vanis tergiuersationibus vtens appellauit, & contumaciter recessit, posthabito juramento suo. His relictis ad Urbanum III. respondit, Reum contumaciter absentem, ad conuincendam eius malitiam, semel adhuc citandum esse, qui si accesserit, finis imponatur liti; sin verò non accesserit, cum lis antè contestata fuerit,

si liquere possit de meritis causæ, procedatur ad sententiam definitivam; alioquin Actor mittatur in possessionem juris decimarum, seruatâ proprietatis quæstione Reo absenti.

## S V M M A R I V M.

1. *Non tantum ad cautionem juratoriam de parendo juri, sed ad pena etiam stipulationem, si non paruerit, à iudice cogi potest contumax.*
2. *Potest quidem Iudex iterum citare Reum, qui contumaciter & sine iustâ causâ, post litem contestatam appellauit, aut recessit, non tamen tenetur.*
3. *Penes actorem est eligere medium, quo iurari velis contra Reum post litem contestationem contumaciter absentem.*

**N O T A I.** Contumax si ad iudicium veniat, cogi potest ad cautionem juratoriam, saltem de parendo juri, interdum etiam iudex cogere potest ad pænæ stipulationem, si juri non paruerit.

**Nota II.** Licet Reum, si post litem contestationem contumax sit, absque rationabili causâ appellando ac recedendo necesse non sit denuò citare, c. 2. h. t. in 6. Consultum tamen est, citationem iterum decerni ad malitiam eius conuincendam. Ita Imola hîc n. 4. *Panorm. n. 7.* Nota autem, quod dixerimus, *absque rationabili causâ*, nam alioqui à iudice gravatus iniuste, appellare & recedere potest, etsi ante ediderit iuramentum de parendo juri, quia iuramentum editum circa materiam juris, interpretandum est, secundum limites juris, neque amplius extendendum, vti docet *gl. in c. De iureiurando. in 6. c. Ad nostram 21. de iureiur.* Cum itaque parti litiganti ex iustâ causâ appellare, & à iudice recedere de jure concessum sit, idè etiam iuramentum talem conditionem suscipit, ut sensus sit, quod iurans iudicio obtemperare velit, quatenus de jure obligatur.

**Nota III.** Si reus post litem contestatam contumaciter se absenter, potest iudex



dex Actore postulante receptis testibus aliisque probationibus, si de meritis causæ liqueat, procedere ad sententiam definitivam. *l. Consensaneum s. C. quomodo & quando.* Dixi autem, *Actore postulante*, nam ut ex eadem lege constat, alia insuper remedia sunt, quibus Actori subuenitur, videlicet ut Reus capiatur, & in iudicium trahatur, vel ut actor in reali actione mittatur in solidam possessionem rei petitiæ. In personali autem actione, mittatur in possessionem bonorum secundum modum debiti, ita ut postea Reus si recuperare velit, actoris onus subire debeat, ut tradit *gl. in cit. l.*

3 Quia verò dicta remedia in priuatam a actoris utilitatem introducta sunt, idè ipsi, quod maluerit eligere concessum est, ut *Panorm. hic docet n. 18. & 22.* Vbi generalem Regulam tradit. Si in iure plura remedia alternatiuè concedantur in fauorem partis, tamen si verba ad iudicem dirigantur, tamen in partis electione esse, vnum eligere, & à iudice petere, ut id exquatur.

## CAPITVLVM V.

## Finem.

## PARAPHRASIS.

Cum expediat finem litibus maturè imponi, præsertim in causis beneficiorum, quippe quæ sine Ecclesiarum damno diu vacare non possunt, idè statuit Innocentius III. Si, postquam vna pars litigantium suam intentionem fundauit, altera exceptionem peremptoriam opponat, quam in continenti probare nolit, aut non possit, ut ad moderatas expensas, parti aduersariæ condemnentur, quas fecit ex illo tempore, quo induciæ concessæ sunt ad peremptoriam probandam; aut si expensas soluere nequeat, alio modo secundum iudicis arbitrium puniatur; hæc tamen intelligi debent, si exceptionem oppo-

nens in ea probanda defecerit, & merito quidem ita decretum est, ad arcedendam hominum malitiam, qui frequenter ad impediendum aut differendum processum, exceptiones falsas opponere solent.

## S V M M A R I V M.

1. *Ad lites citò expediendas friuola exceptiones, & dilationes amputari debent.*
2. *Intentione Actoris jam probatâ & fundatâ, opponi tamen potest exceptio peremptoria, qua sit cum ea compossibilis.*
3. *Non tantum qui in dilatoria seu emergente exceptione quam opposuit, probanda deficit, ad expensas aduersario restituendus per interlocutoriam Sententiam rectè condemnatur, ante definitivam in causâ principali latam, sed ex speciali capituli huius constitutione etiâ ille, qui deficit in probanda peremptoria exceptione, quam temerè opposuit.*
4. *Mulctatur ob delictum in pecunia, si ob inopiam eam soluere non possit, in corpore puniendus est.*

NOTA I. Lites quantum fieri potest, citò expediri & non protrahi debent absque necessitate, ne partes litigantes laboribus & expensis frustra fatigentur; quamobrem exceptiones friuolæ, & dilationes non necessariae amputari debent, maximè in causis beneficialibus, aliisque spiritualibus. *Clement. 2. de Verb. signific.*

NOTA II. Exceptio peremptoria opponi etiam potest, postquam probationes ab Actore allatæ, testes publicati, & in causâ conclusum fuit. Ita *gloss. hic verb. Exceptionem.* & bene explicat *Panorm. n. 3.* Intelligendum id esse de Exceptionibus, quæ compossibiles sunt cum intentione Actoris probata & fundata, v. g. si actor probauit matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, alter coniux obijcere potest impedimentum consanguinitatis. *c. 1. de Ordin. cognit.* Item si actor probauit, equum ad se titulo emptionis pertinere, Reus conuentus legitimam viuca-



pionem obijcere potest, eaque probata obtinere. Præterea si Actor probauit, pecuniam tibi mutuo datam esse, tu excipiendo dicere potes, factum postea subsecutum fuisse de debito non petendo.

Nota III. Licet alioqui super exceptione peremptoria, & attinentibus ad illam non pronuntietur ante sententiam definitiuam, ut diximus in *c. 1. de Ord. Cognis.* id tamen specialiter constitutum est in odium temerè opponentium peremptoriam exceptionem, quòd mox ubi in eius probatione defecerint, antequam sententia feratur, interlocutoriè condemnentur ad expensas, quas aduersarius per id tempus induciarum facere debebat, alia verò ratio est, de exceptionibus dilatoriis aut emergentibus, cum enim de iis statim pronuntiarì debeat, antequam ulterius procedatur, aut sententia super causa principali feratur, ideò generatim de illis dici debet, si reus opponens exceptionem dilatoriam aut quasi dilatoriam seu emergentem, in eius probatione succumbat, mox aduersario ad expensas præstandas, eadem interlocutoria sententia rectè conuenienterque condemnari, ut hic monet *Panorm. n. 12.* & sumitur ex *c. 1. de except. in 6.* quemadmodum & contumax prius non auditur, quam aduersario expensas soluerit, quas facere ob eius tergiversationem debuit. *c. 1. h. t. in 6. l. Sancimus. 15. C. de iudiciis.*

Nota IV. Si quis multam aut debitum ex delicto proueniens soluere non possit ob inopiam, tunc aliter v. g. in corpore puniendus est, juxta *l. 1. in fine. ff. de panis.* Unde sumptum est illud vulgatum: *Qui non habet in aere, inat in Corpore.*

## CAPITVLVM VI.

### Cùm dilecti.

#### PARAPHRASIS.

Contra electum Episcopum Leodicensem  
Archidiaconus & Henricus Canonicus,

suo & aliorum Canonicorum nomine (quorum literæ de rato exhibitæ erant) crimina quædam objecerunt ad impediendam confirmationem eius tanquam indigni, cum autem Innocentius III. super his inquit mandasset, electus veluti grauatus à parte aduersa appellauit, sed appellationem per sufficientes procuratores prosecutus non est, cum tamen pars aduersa prosequi vellet, ex quo non leuis contra electum orta erat suspicio, nihilominus Papa juris Ordinem seruare volens, mandauit illi, ut vsque ad Dominicam *Ego sum Pastor bonus*, per se, vel per procuratorem Pontifici se præsentaret, responsurus ad objecta; alioquin se processurum quatenus de jure poterit, quandoquidem terminus ille ut peremptorius assignatur: verum eo non comparente, pars aduersa ipsèque Papa diu ultra terminum expectarunt; denique simplex nuntius aduenit, excusationis tantum literas ferens, quòd videlicet nuntium & mandatum Papalem de comparendo serò acceperit, ideòque tam breui tempore venire non poterit; sed excusationem reiecit Pontifex, nam sicuti nuntium mittere poterat electus, ita & procuratorem destinare cum mandato respondendi. Proinde si mandetur alicui, ut veniat ad certum terminum, duo mandantur, & ut veniat, & ut ad diem præstitutam; quare si alterum non possit, quod secundarium est, implere, debet tamen satisfacere in principali, sicuti si debitor sis solutioni faciendæ ad diem S. Georgij, & tunc soluere non possis, debes nihilominus soluere postea, si possis. Propter hæc Pontifex electum iudicauit contumacem fuisse, ideòque eum condemnat ad legitimas & moderatas expensas præstandas parti aduersæ, ex eo tempore quo desideratâ illius præsentia, post interpositam ab ipso appellationem, citatio emanauit, & pars aduersaria eundem expectare debuit.

SVM-



## S V M M A R I V M.

1. De crimine, de quo non agitur criminaliter, agi potest per Procuratorem.
2. Citatus ad diem festum reus non eo sensu citatur, quod eo die festo in iudicio comparere debeat, sed quod ultra eum diem differre non possit suam in loco presentiam.
3. Mandatum de duobus, si observari non possit circa secundarium, observari tamen adhuc debet, circa principale.

1 **N**OTA I. Si agatur de crimine non criminaliter, videlicet ad depositionem promoti aliâve pœnam, aut ne aliquis promoveatur, tum agi potest per procuratorem. *c. Super his. 16. de Accusationibus.*

2 **N**OTA II. Citari aliquis potest, ut presentiam exhibeat vsque ad diem Dominicam aliudque festum, non enim sensus est, quod eo die in iudicio comparere debeat, sed quod ad comparandum in loco, temporis ei spatium conceditur terminandum die Dominica inclusivè.

3 **N**OTA III. Si duo alicui præcipiantur, unum principaliter, alterum secundariò, & si secundarium negligatur, aut servari non possit, debet tamen observari Principale, ita *Innoc. h. c. & explicans l. 5. r. 6. c. 5. n. 8. in fine.* Supponitur autem in hoc casu, quod præceptum, v. g. Citatio sit legitima, nam si aliquis citaretur ad totam causam præfixo termino peremptorio, intra quem ipsum venire impossibile sit, tum omnino accedere non tenetur, uti hîc tradit *Panorm. n. 20. Arg. l. Aut qui. 5. ff. quod vi aus clam. junct. Bart. ibid.* Nam talis citatio irrita est, cum præceptum impossibile contineat.

4 **N**OTA IV. Contumax in comparando, solvere debet expensas moderatas quas interini adversarius expectando fecit. Ut dictum est. *c. preced. in fine.*

## CAPITVLVM VII.

## Cùm olim.

## PARAPHRASIS.

Dorotheus Clericus cum Prælatorum Hi-

berniæ literis testimonialibus venit ad Cælestinum III. asserens se in Episcopum Roscensem electum esse, quem Papa, cum nemo se opponeret, consecrari iussit, postea verò Franciscus & Gaspar Monachi ad eundem Papam accedentes dixerunt se à Canonicis Ecclesiæ Roscensis electos fuisse in Episcopos, Dorotheum verò presentatis falsis literis consecrationem obtinuisse: quare Cælestinus III. causam iudicibus delegavit, eâ formâ, ut factâ inquisitione de processu electionis, si compererint Dorotheum canonicè electum fuisse, eum faciant pacificâ possessione gaudere; alioquin causam audiant inter Franciscum & Gasparem, & cuius electionem magis canonicam agnouerint, eum alteri præferant. Iudices illi Dorotheum tertio citârunt, & cum comparere nollet, processerunt in causâ inter Franciscum & Gasparem, atque Franciscum, quem ex Cleri Roscensis, ac populi testimonio, tum Regis quoque assertione legitimè electum agnoverunt, auctoritate Apostolicâ confirmari curârunt; maximè cum Capitulum Roscense Dorotheum se non elegisse constanter assereret; de Gaspare verò eligendo nunquam cogitasset. Interim dictus Dorotheus ad Sedem Apostolicam accedens, alias literas impetrauit, contra Franciscum, super quibusdam aliis gravaminibus atque injuriis; sed & Franciscus ad eandem Sedem venit, processum dictorum iudicum secum asserens. Pontifex misericorditer agere volens cum Dorotheo, Franciscum remisit ad iudices, cum Mandato, ut Dorotheum ad convincendam eius malitiam denudò citarent, si in Hiberniâ reperiri possit, concessâ ei facultate defensionis super jure electionis & confirmationis, consecutusque, quod si nuntius intra tres menses se non stiterit, ad consecrationem Francisci statim procedant; sin autem in Hibernia non fuerit inuentus, indulto ipsi



to ipsi vnus anni spatio ( eò quod non verbo quidem, sed factò prouocasse censeatur ad Sedem Apostolicam iter arripiendo ) eidem Francisco administrationem Episcopatus in spiritualibus ac temporalibus interim committant, elapso autem anno eundem consecrare in Episcopum non differant.

## S V M M A R I V M.

1. *Assumptio Religiosi in Episcopum, non est propriè postulatio, sed electio.*
2. *Ex electione non canonica infirmatur etiam subsequens confirmatio.*
3. *Ob contumaciam Rei post trinam citationem non comparentis, potest procedi ad testium receptionem, & sententiam definitiuam, etiam lite non contestata, si de valore electionis agatur.*
4. *Appellare quis potest, à sententia, vel gravamine, verbo, vel factò.*
5. *Maius spatium Pralato conceditur, cuius iam confirmati electio impugnetur, quam si nondum confirmati electio impugnetur: hoc ordinariè sex mensum est; illud relinquitur Iudicis arbitrio definiendum.*
6. *Ordinariè audiendus non est, qui post preceptorium terminum opponere se vult electioni: quamuis Iudex ex officio contra electum talem, & confirmatum per viam inquisitionis procedere possit.*

1 **N**O T A I. Religiosi in Episcopum assumptio, electio est, & non propriè postulatio. *c. Nullus. 28. de Elect. in 6.*

2 **N**O T A II. Si electio Pralati Canonica non fuit, etiam subsequens confirmatio, & possessionis traditio cassari debent. Ita etiam sumitur ex *c. 4. De causa possessionis.*

3 **N**O T A III. Si agatur de valore electionis, & consequenter confirmationis etiam lite non contestatâ ob contumaciam Rei post trinam citationem non comparentis, procedi potest ad testium receptionem & sententiam definitiuam. *c. ult. §. Porro. ut lite non contestatâ.* Nihilominus Pontifex

ex gratia per plenitudinem potestatis ( quia causa ardua erat, cum ageretur de remotione Episcopi confirmati, consecrati, & in possessione existentis ) iussit causam iterum examinari, citato Reo, & datâ ei facultate defensionis.

Nota IV. Duobus modis censetur aliquis appellare à sententia aut gravamine. Videlicet Verbo expresso, & factò, seu arripiendo iter ad Superiorem. *c. Meminimus. 9. junct. gl. de Appellationibus.*

Nota V. Tamen in casu contrahendi spiritualis matrimonij ( si videlicet alicuius nondum confirmati electio impugnetur ) contumax sex tantum mensibus expectandus sit, jure ordinario. *cit. c. ult. §. Porro.* Maius tamen spatium secundum causæ qualitatem iudicis arbitrio tribuitur, si agatur contra Prælatum jam confirmatum, consecratum, oppugnando eius electionem. Ita sumitur ex *hoc c. & citato. §. Porro. & tradit gl. hic. verb. Anni. Panorm. n. 10.* Occasione huius cap. quæritur; si ante confirmationem Pralati, edictum publicum affixum sit statuto preceptorio termino, intra quem venire debeat, qui se opponere voluerit, juxta *c. ult. de Electione in 6.* Num audiendus sit, qui postea accesserit, electionem impugnare volens. *Re. Ex c. ult. qui Matrimonium accusare possunt.* talem audiendum non esse, cum præsumptio malitiæ contra ipsum sit, nisi ostendat, se absentem fuisse, vel aliàs probabiliter ignorasse publicationem Edicti; vel crimen aliudve defectum electi nunc primitus cognouisse. Ceterum iudex ex officio per inquisitionem contra electum & confirmatum procedere non prohibetur: uti hinc *Panorm. notat in fine c.*

## CAPITVLVM VIII.

## Veritatis.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Curienfis præcedente publicâ infamiâ, delatus à Canonicis fuit ad Innocentium =



centium III. super dilapidatione bonorum Ecclesie, homicidio, incestu, aliisque criminibus. Causam hanc Pontifex delegavit Episcopo Tridentino, seu, ut alia lectio habet Tridentino, Abbati monasterii Sanctæ Mariæ, & Præposito in Insula: deinde iterum Brixinensi Episcopo, & dictis Abbatibus ac Præposito. A prioribus illis iudicibus, Curienfis Episcopus vocatus, cum contumax esset in comparendo, ab ipsis suspensus est ab officio & beneficio, postea coram secundis iudicibus canonicè vocatus comparuit quidem, sed friuolâ allatâ excusatione, respondere contumaciter noluit; quare Papa suspensionem prius in ipsum latam confirmavit, postea iterum, ad eoque tertiâ vice causam delegavit Episcopo Cumanò & abbati cuidam, coram quibus tertio citatus Episcopus Curienfis, cum nec per se, nec per procuratorem compareret, excommunicationis sententiam in ipsum promulgârunt, testes contra ipsum juxta formam mandati Apostolici recipientes, per quos singuli articuli sufficienter probati fuerunt; quare Innoc. III. considerans iudicarium ordinem ritè seruatum fuisse, & Episcopum Curiensem, post latam in ipsum censuram, celebrare præsumpsisse, sententiam depositionis ab Episcopatu & officio Pontificali ac sacerdotali absque spe restitutionis profert, in irritum reuocans alienationes, quæ à dicto Episcopo post suspensionem & excommunicationem factæ sunt.

## S V M M A R I V M.

1. In censuris ferendis pro ratione contumaciæ gradus seruandi.
2. Contra Prælatum criminofum, si per viam accusationis purè criminaliter agatur, ad sententiam condemnatoriam procedi non potest ante liti contestationem, quamuis propter contumacem illius absentiam, hæc fieri non possit.
3. Potest tamen tam ad testium receptionem, quam ad depositionis sententiam, contra

eum absentem, & contumacem procedi, ante liti contestationem, si Index ex officio suo per viam inquisitionis contra eum procedat, siue adsit denunciator, & Procurator iudicialis inquisitionis, siue non adsit.

4. Potest Index illud etiam crimen punire, quod ex deductis in iudicium coherentè legitime cognitum fuit.
5. Alienatio bonorum Ecclesie irrita est, si facta ea sit à Prælato suspenso ab officio, aut excommunicato non tolerato.

**N**OTA I. In censuris ferendis gradatim procedendum est, ut prius secundum exigentiam Causæ inferatur interdictum ab Ecclesia aut suspensio, postea crescente contumaciâ Reus excommunicetur.

**N**OTA II. Si aliquis adsit denunciator seu promotor inquisitionis faciendæ de Prælato ad depositionem eius, Reus tamen citatus, contumaciter absit, contra eum receptis testibus, & probatis criminibus procedi potest, etiam lite non contestatâ. Ita sumitur ex textu, & docet. *Io. Andr. n. 4. Imola. n. 5. & 9. Panorm. n. 18.* Pro intellectu aduerte, contra Prælatum criminofum tribus modis procedi posse; Primò, purè criminaliter & per modum accusationis, ut criminofus penâ condignâ criminibus puniatur, & hoc casu requiritur liti contestatio, ita ut eâ non factâ propter contumaciam Rei absentis ad sententiam condemnatoriam procedi non possit, ut diximus in *ut lite non contestata. §. Porro, ad quæst. dicto 3.* Secundò, ex mero puro iudicis officio excitati clamorosa insinuatione populi seu publicâ infamia. Hoc casu, quia nullus adest, qui inquisitionem suo vel aliorum nomine petiuit aut impetrauit, locum non habet oblatio libelli, & liti contestatio, consequenter sine ea, si citatus contumax sit, procedi potest ad testium receptionem & condemnationem. Tertio, Si adsit denunciator & promotor iudicialis inquisitionis ad depositionem seu amotionem Prælati ab administratione in spiritualibus & temporalibus, ut Ecclesiæ obesse desinat, juxta *6. Qualiter. 24. verb. sed cum. De accusationibus.* hoc casu

b b

libel-



libellus offerendus, & lis contestanda est, si denunciatus veniat, vti colligitur ex *capit. Exhibita. 19. de iudic.* sin autem contumaciter se absenter, etiam lite non contestata, receptis testibus & habitis probationibus sufficientibus proceditur ad definitivam, seu condemnatoriam sententiam; vti constat ex hoc *o. & cit. c. Qualiter.* Ratio est, quia cum vertitur periculum animæ, aut publicum Ecclesiæ, tunc contra absentem contumacem proceditur lite non contestata, *cit. c. ult. §. Porro.* atqui si præcedente infamiâ aliisue indicis Prælatus denunciatur tanquam bonorum Ecclesiæ dilapidator aut in grauibus criminibus persistens, vertitur periculum animarum & publicum Ecclesiæ cui is præest; ergo lite non contestata contra ipsum contumacem procedi potest, saltem ad eius amotionem seu destitutionem; videatur *Panorm. hic. n. 23.*

4 Quæres, cur itaque Pontifex maiorem penam Episcopo, videlicet verbalis depositionis ab Ordine episcopali ac sacerdotali infligit. Resp. Si in iudicio crimen legitime cognitum sit, non omnino accidentaliter, sed coherenter ad ea, quæ in iudicium adducta sunt, tum iudex illud punire potest, vti colligitur ex *c. 2. de Confessis,* & notat *Imola hic n. 5. gl. in c. 1. verb. contingere. de Except.* sed in casu nostro ex deductis in iudicium coherenter seu accessorie cognitum fuit, quod Episcopus Curienfis post suspensionem & excommunicationem, quæ ob insuperabilem contumaciam & inobedientiam ipsi illata erat, etiam censuram violauerit celebrando, ideòque irregularitatem contraxerit, consequenter Papa inobedientiam istam & contemptum legitime puniuit per depositionem non tantum ab Episcopali iurisdictione, & administratione, sed etiam ab omni ordine Episcopali ac Sacerdotali.

5 Nota III. Si Prælatus ab officio suspensus, aut excommunicatus non toleratus, bona Ecclesiæ alienet, irrita est alienatio. Pro huius intellectu aduerte ex *Innoc. hic. n. 1. Panorm. n. 33.* Quod excommunicatio virtualiter in se includit suspensionem ab

officio, consequenter etiam à beneficio, juxta *c. Pastoralis. 53. de Appellat.* suspensus autem ab officio simpliciter & indistinctè inhabilis redditur ad omne munus seu exercitium publicæ potestatis, vti ex communi docet Suarez de Censuris *disp. 26. n. 4.* contra *gl. in c. Audiuimus. 4. Causa 24. q. 1.* administratio autem Prælati, non tantum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, consequenter & alienatio bonorum Ecclesiæ, actus est publicæ Ecclesiasticæ potestatis, ergo ea non est concessa Prælato suspensò aut excommunicato non tolerato, vti hîc etiam docet *Ioan. Andr. n. 2.* qua ratione *Panorm. loc. cit.* ait: quod non valeat autoritas in alienatione rerum minoris interposita per tutorem excommunicatum, cum etiam tutelæ exercitium, publicus actus sit, nec valeat arbitrium seu laudum per formam iudicii pronuntiatum à compromissario excommunicato, cum arbitria hæc ad formam iudiciorum redacta sint. *l. 1. ff. de arbitris.* sed secus est dicendum de arbitratore in contractibus & amicabili compositione, cum hæc officia publica non ceaseantur quandoquidem etiam in mulierem cadere possunt.

## CAPITVLVM IX.

## Contingit.

## PARAPHRASIS.

Si actori propter contumaciam Rei per primum decretum, adiudicata sit possessio bonorum custodia causa, accidit nonnunquam vt ob potentiam vel dolum aduersarii, bona intra annum consequi non possit, vel acquisita amittat, & ita (cum ex multorum sententia actor anno elapso non fiat verus bonorum possessor) Reus ex malitia sua commodum reportat, quare ne contumax melioris conditionis sit quam obediens, secundum Canonicam benignitatem decernit Innocentius III. vt in dicto casu actor post annum verus efficiatur possessor.

SUM.



## SUMMARIUM.

1. *Missus in possessionem bonorum custodia causâ, ab adversario tamen per dolum impeditus, fictione juris pro misso habetur, & post annum fit verus bonorum talium possessor in ordine ad juris effectus, si interea reus contumax non comparuerit.*
2. *Ex contumacia non debet commodum ferre contumax.*

**NOTA I.** Qui iussus est in bonorum possessionem mitti custodia causâ, si impediatur ab adversario per dolum, juris fictione pro misso habetur, ita ut elapso anno, si interea Reus contumax non comparuerit, actor in reali actione verus possessor censeatur secundum civilem & à lege tributam possessionem. Simile quiddam est jure Cæsareo statutum etiam in personali debito, ut si creditor à iudice iussus sit possessionem bonorum capere, tamen si bona possessa non sint, perinde habeatur, ac si possessa essent. *l. Quamuis. 13. ff. De rebus autoritate iudicis possidendis.*

Obijcitur. Possessio cum sit quid facti, non acquiritur solo animo, sed opus etiam est corporis apprehensione. *c. Licet. 4. c. de acquirenda possess.* Ergo sine apprehensione reali actor non potest fieri verus possessor secundum juris dispositionem. Resp. Quod hoc. *c.* dicitur, elapso anno actorem verum possessorem fieri, id non absolute intelligendum, sed tantum in ordine ad effectus juris, quos perinde participat, ac si proprie & verè possideret, ut videre est in *gl. cit. l. Quamuis.* ante lapsum vero anni missus in possessionem, aut possidere iussus ex primo decreto, non nanciscitur commoda veræ possessionis, sed duntaxat custodia, ut dictum est in *c. ult. §. in aliis ut lite non contestata.*

**NOTA II.** Non debet aliquis ex iniquitate sua commodum ferre, neque contumax & malus melioris esse conditionis, quam bonus & obediens, uti etiam habetur in *c. 1. verb. Nos igitur. De postulat. Pralat. & l. 3. principio. ff. De donation. inter virum & uxorem.* Glossa hic, verb. *Constituatur*, querit,

utrum etiam in causis beneficiorum missio in possessionem locum habeat ob contumaciam rei, & rectè negat. Si parochia aliâve Ecclesia aut Præbenda petatur, ut beneficium secundum jus spirituale; seu titulum, ut infra dicitur, in *c. unico. de eo qui mittitur in possessionem in 6.* affirmat autem si Ecclesia v. g. vel parochia petatur ut proprietas seu ratione subiectionis, quia dicitur subiecta Episcopo, v. g. quoad Cathedaticum, vel ratione reddituum incorporata monasterio. Ita sumitur ex *C. 1. de eo qui mittitur.* & docet *lo. Andr. hic n. 7. Ancharanus. in cit. c. Unico. ibid. Franc. n. 3.* Vide tamen *Panorm. hic n. 17.* & quæ dicentur in *cit. c. Unico.*

## CAPITULUM X.

## Venerabilis.

## PARAPHRASIS.

Gregorius IX. Burdegalensem Episcopum peremptoriè citat ad initium proximè venturæ quadragesimæ, ut per se, vel per idoneum procuratorem, Apostolico conspectui adit, ad litem contestandam super jure Primatiæ, quod Archiepiscopus Bituricensis sibi super ipsum & provinciam eius competere contendebat. Sed & insuper quibusdam extra Romam mandavit, ut eundem Burdegalensem Apostolica autoritate ad eundem terminum peremptorium Romam citari curarent, sin autem reperiri non posset, citationis edictum juxta Ecclesiam publicè proponi facerent. De hac ipsa controversia inter duos Archiepiscopos videatur *c. ult. de maioriute. & c. ult. de dilationibus.*

## SUMMARIUM.

1. *Citatio ad tempus quadragesimæ simpliciter prolatum facta, de proxima quadragesima intelligi debet, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.*
2. *Commissarii quibus citandi munus committitur, non possunt hoc alii autoritative faciendum committere, quamvis per alios promulgare edictum citationis possint.*

bb 2

Nota



**NOTA I.** Si citandus personaliter reperi non potest, edictum citationis affigendum est in valuis publicis. De hoc supra diximus in cpa. 3. Quærit hinc gl. verb. Proximè si in citatorio terminus quadragesima absolutè positus fuisset, an intelligi debuisse de proximè ventura, & rectè affirmat ex l. 41. ff. de verb. oblig. vbi dicitur: eum qui Calend. Januar. se daturum respondit, intellexisse videri de proximis, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

**NOTA II.** Papa demandare potest alicui v.g. Episcopo, vt alterum Apostolica sibi commissà auctoritate Romam citet. Quærit Panorm. hinc n. 7. Vtrum Commissarii Papales potuissent hoc citationis munus alteri committere: & rectè respondet, quòd non potuerint. arg. c. vlt. §. vlt. De Officio Delegati, vbi habetur quòd nudum ministerium alicui delegatum, si grauis momenti sit, alteri committi non possit. Quòd verò in fine huius Capituli additur, edictum citationis per ipsos commissarios vel per alios publicari posse, id refertur non ad ipsam authenticam citationem, sed ad publicationem seu affixionem edicti, quæ haud dubiè per quoscunque officiales ac Ministros fieri potest, tamen si id in commissione expressum non sit, quia parum interest, num tale quidpiam aliquis per se exequatur, an per alium, tanquam secundarium seu ministerialem executorem.

## IDEM TITVLVS in 6.

### CAPITULUM I.

#### Actor.

#### PARAPHRASIS.

Si actor, qui ad certum temporis terminum citari aduersarium postulauit, ipso veniente non compareat, postea adueniens condemnari debet ad legitimas expensas, quas aduersarius ob eam causam facere debuit; quòd si iterum petat reum citari, non auditur, nisi prius sufficienter

caueat, quòd in termino constituto compariturus sit. Debent tamen hæc limitari, nisi iustum impedimentum actorem retardauerit, quò minus ad terminum veniret, quia iustè impedito tempus non currit. Ceterum interuenisse impedimentum, ipse, qui in mora veniendi fuit, probare debet, vt Ancharanus in fine huius c. docet.

#### SUMMARIUM.

1. Etiam actor censetur contumax, si in termino non compareat, ad què reum citari voluit.
2. Cautio quam prestare debet actor de comparendo, si reum iterum citari velit, quò prius ad instantiam illius jam citato, & comparente, ipse comparere neglexit, debet esse ordinariè fideiussoria seu pignoratitia.

**NOTA I.** Non tantum Reus contumax esse potest, sed etiam actor, si in termino, ad quem Reum citari procurauit, ipse non compareat. *authent. Qui semel. C. Quomodo aut quando;* imò maior est contumacia actoris, quam Rei; prout dictum est in c. 3. *vt lite non contestata.*

**NOTA II.** Semel malus semper præsumitur esse malus. *Reg. 8. in 6. & sumitur ex fine huius c. & l. Si cui. 7. §. Item. ff. De accusat.* vbi dicitur, quòd qui semel alicui in iudicio calumniam intulit, iterum ad accusandum admitti non debeat, quia denuò calumniaturus creditur: & ex c. *Literas. 13. de Restitut. spol.* Vbi vxor marito, qui antea in eam exercuit sæuitiem, non restituitur, nisi sufficienter prouisà securitate. Debet autem cautio de quâ hic sermo est, esse fideiussoria vel pignoratitia, vt sumitur ex l. *Ex mandato. 59. §. vlt. ff. Mandati.* vbi distinguunt DD. cautionem in nudam, & idoneam seu sufficientem, illam vocant promissoriã seu juratoriam, hanc fideiussoriam seu pignoratitiã, aiuntque, si in aliqua dispositione cautio exigatur, intelligi de nuda & simplici, sin autem sermo sit de idonea aut sufficiente, vel de securitate debiti, tum exigi fideiussoriam vel pignoratitiã, dummodo eam debitor prestare possit, alioqui verò sufficiet juratoria, vt si peregrinus vel pauper sit, qui



qui jurare debeat iuxta *Authent. Generaliter. C. De Episcopis & Clericis. & tradit gl. hic verb. Sufficenter.*

## CAPITVLVM II.

## Eum qui.

## PARAPHRASIS.

Si iudice contra partem litigantem profere interlocutoriam sententiam, v. g. dilationem petitam denegando, pars appellat, & appellatione non admissa recedat, contestari censetur, quod nolit coram iudice hoc litigare, quamobrem iudex qui appellationem reiecit, non citatâ amplius parte, ad alia quæ in iudicio agenda sunt, imò etiam ad definitivam sententiam iuste ac validè procedere potest, præterquam si interpositæ appellationi renuntiauit.

## SYMMARIVM.

1. Pars litigans denuò citanda non est, si satis contestata sit, quod nolit coram hoc iudice, quantum hanc causam concernit, litigare; secus si tantum quoad unum articulum causæ huius contumax sit.
2. Contra eum, cuius appellatio frivola iudicatur, procedi potest, tanquam contra contumacem.
3. Ex tribus delegatis iudicibus v. g. tertius etiam ad executionem citandus est, quamvis ab aliis duobus in unam sententiam consentientibus dissenserit.

**N**ota I. Si pars litigans sufficienter significarit verbo aut facto, quod coram iudice hoc litigare amplius nolit, non est denuò citanda, intelligitur autem hoc, si appareat, quod totam causam agere detrectet. Secus, si ad articulum causæ pars citata con-

tumax fuerit, tum ad alios articulos ipsamque sententiam definitivam iterum citari debet, uti notat *gl. hic, verb. Non teneris. & videatur Anchar. hic. q. 2.* simile est quod docet *Bart. in l. Si finita. §. Julianus. n. 8. ff. De damno infecto.* Si citatus dixit se nolle venire, quod contumax censetur, ut amplius citandus non sit.

Nota II. Si iudex aestimet, appellationem alicuius frivola esse, tunc contra appellantem & recedentem (nisi facti pœnitens appellationi renuntiet) tanquam contumacem procedere potest in casibus, quibus id licet adversus contumaciter absentem, v. g. Si lis contestata sit, verumtamen si iudex in hoc casu ad definitivam procedat, is qui contumax reputatus est, contra eam intra decendum appellare potest, præterquam si prior ipsius appellatio à gravamine aut interlocutoria sententia, manifestè frivola fuerit. *Cit. Clem. vnic.*

Quærit hic glossa finalis: Si constitutis tribus iudicibus delegatis, duo consentiant in sententia, tertius dissentiat, atque sententia duorum executioni ab ipsis mandanda sit, num tertium citare debeant. Affirmat *gl. & Ioan. Monachus hic, sed Petrus Anchar. q. 3. arg. h.c. negat:* cum enim executio sit quiddam accessorium latæ sententiæ, idè qui sententiæ contradixit, etiam executioni eius contradixisse censetur. Sed mihi placet sententia glossæ, quia cum duorum sententia tanquam partis maioris valida sit, non potest eam tertius refutare, quare licet antea se opposuerit, tamen postquam lata est, in eam consentire censetur; idè que citandus est ad executionem eius, saltem si causæ aliqua cognitio requiratur, *uti gl. marginalis, Dominicus & Francus admonent in fine huius Capituli.*

## TITVLVS XV.

DE EO QUI MITTITVR IN POSSESSIONEM,  
CAVSA REI SERVANDÆ.

**P**ropter contumaciam Rei interdum actor mittitur in possessionem rei petitiæ, aut bonorum debitoris, idè postquam de

contumacia dictum fuit, titulus iste congruenter ponitur.

bb 3

CAPI-